



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LXXIV. De matrimonio sub conditione servandæ castitatis contracto
ab habente votum simplex perpetuæ castitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

violata, ita & in sponsalibus spectari debet ratio præcipua, scilicet fides violata, ob quam licentia refiliendi concessa est. In citr. C. Raynutius attenditur major turpitudò delicti, ut expressè ibi insinuat; in sponsalibus verò ad refiliendum spectatur suspecta fides, quæ meritò suspecta manet, etsi uterque fornicatus sit.

CASUS LXXIV.

De matrimonio sub conditione servandæ castitatis contracto ab habente votum simplex castitatis perpetua.

PATRONILLA Virgo ab Anselmo viduo interrogata, an non vellet sibi nubere? Respondet, se non posse. Anselmus suspicatus, quod res erat, subjungit, nonne voto castitatis obstricta es? affirmat illa, tunc Anselmus, si hoc est, inquit, ne sis de hoc sollicita, ego à te nunquam debitum petam, vivemus in perpetua continentia, poterisque etiam in matrimonio illæsam servare castitatem; quo audito Patronilla sub ea conditione consentit, & condicit in matrimonium, quod paulò post coram Parocho contrahunt in facie Ecclesiæ. Patronilla postea scrupulis agitata quæsit ex Confessario.

QUÆR. I. Quid ipse de valore talis matrimonii sentiret?

QUÆR. IV. An liceat sibi marito cohabitare, anue in lecto separato cubare debeat?

QUÆR. III. An valeat matrimonium contractum sub conditione, ut conjux nunquam debitum exigat?

419 AD I. Q. valere tale matrimonium, respondent Palud in 4. dist. 30. q. 2. 4. 1. Pont. l. 3. c. 11. n. 5. Rebell. l. 2. de oblig. just. q. 10. sect. 2. Abulens. in c. 30. n. q. 32. Bosco de matr. D. 11. S. 8. concl. 9.

concl. 9. Krimer in l. 4. n. 798. P. Schmier p. 2. de matr. c. 2. n. 118. P. Pichler hîc n. 79. aliique plures, censentes condiciones contrarias bonis matrimonii, si honestæ sint, non vitare matrimonium, cujusmodi sunt: accipio te, si mecum vivas in perpetua castitate, vel ea lege, ut in perpetua continentia vivamus, vel ut nunquam à me conjugii debitum petas, aut tibi petenti reddere tener, &c. Rationem dant. 1. Quia condiciones honestæ, licet contrariæ sint bonis matrimonii, non recensentur inter illas, quæ de jure irritant matrimonium; nam *cap. fin. de cond. appos.* annullans condiciones contrarias bonis matrimonii, loquitur duntaxat de conditionibus turpibus, ut constat ex exemplis ibidem subjunctis. Ergo. 2. Quia si uterque ante initum matrimonium voto castitatis se obstrinxisset, valeret matrimonium, non obstante ea conditione, vi cujus neuter debitum exigere valeat: ergo etiam idem erit, quamvis ea conditio de debito non reddendo, & petendo apponatur ipsi contractui. 3. Possunt sponsi contrahere matrimonium cum intentione servandi castitatem, vel Religionem profitendi juxta *c. commissum, 16. h. tit.* ergo possunt hoc etiam deducere in pactum, & talem conditionem adicere matrimonio. 4. Possunt conjuges inito jam matrimonio communi consensu

postea vovere castitatem, vel ingredi Religionem: ergo salva essentia matrimonii potest adjecta tali conditione tolli jus petendi, vel reddendi debitum. 5. Ad essentiam matrimonii sufficit dominium mutuum corporum, & potestas in actu primo: atqui dominium hoc & potestatem, seu jus non impediunt dictæ conditiones, sed tantummodo impediunt usum hujus domini; usus enim potest separari à dominio, & concedi dominium, seu jus, & reservari usus, & vicissim, ut constat à pari cum aliis contractibus. 6. Quia, si talis conditio non posset adici, non constitisset matrimonium inter B. V. & S. Josephum, utpote qui sub tali conditione videntur contraxisse; Sequela non potest, admitti, utpote contraria Evangelio *Muth. 1. v. 18. & Luc. 1. v. 27. &c.*

Secunda sententia negat matrimonium contractum sub tali conditione validum esse. Ita cum S. Th. & S. Bonavent. Sotus 4. dist. 29. q. 2. a. 3. Richard. a. 2. q. 4. ad 3. Covar. p. 2. de sponsal. c. 3. §. 1. Navar. l. 3. *Consil. 11. de voto, edit.* 2. Adrian. 4. q. 3. de matr. dub. 9. Abb. c. commissum, c. 2. de Spons. Henriq. l. 11. de matr. c. 4. & l. 12. c. 2. Barbof. in c. fin. h. tit. n. 3. Gonzal. ibid. Sanch. l. 5. de matr. D. 10. n. 2. & 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 9.

König

König tit. de spons. n. 102. Engl. n. 10. Pirh. n. 13. Wiestn. n. 52. Schmalzgr. n. 120. Guttier. Filiuc. Lud. Lop. Vivald. Petr. Ledesm. aliique plures.

Moventur 1. Auctoritate citt. cap. fin. de cond. appos. ubi Pontifex Gregor. IX. simpliciter asserit, matrimonium vitari, & effectu carere, contractum sub conditione contraria bono prolis, nulla facta distinctione inter conditionem honestam, & turpem; nec vim ibi ponit in turpitudine conditionis, sed in contrarietate cum substantia matrimonii, uti patet ex illis verbis: *Si conditiones contra substantiam conjugii inferantur &c.* ubi Pontifex loquitur generaliter, adeoque intelligendus de omnibus conditionibus, substantiæ matrimonii adversantibus, sive honestæ illæ sint, sive turpes. Est autem in citt. c. fin. Sermo de conditionibus veris & propriè dictis, ut notant citt. DD. quales non sunt conditiones de *presenti*, vel *præterito*. Utpote, quæ non suspendunt negotium, vel actum, sed absolutè statim obligant, si subsunt, vel non obligant, nec unquam obligabunt, si illæ non subsint.

Prob. 2. Ratione. Quia quamvis de substantia matrimonii non sit copula, nec intentio illius exigendæ, vel reddendæ; est tamen de substantia matrimonii

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

mutua corporum traditio, vi cuius contrahentes in se mutuò transferunt jus in corpus suum ad actus conjugales, ac proinde saltem implicitè se se obligant ad eos reddendos; atqui contrahentes matrimonium sub conditione servandæ perpetuæ castitatis tale jus, & implicitum consensum ad actus conjugales reddendos excludunt per ipsam appositionem talis conditionis, hoc ipso, quòd vi illius ad copulam non exigendam, & non reddendam obligentur: ergo &c. Atque adeò quando in ipso contractu matrimoniali apponitur conditio, ut uterque conjux maneat in perpetua castitate, non solum tollitur copula carnalis, sed etiam jus, & potestas ad talem copulam; nam obligatio hæc, quæ obligantur ad non petendum, nec reddendum debitum, efficaciter impedit, quantum est ex sua parte, ne ullum tale jus, & potestas sequatur, adeoque neque jus radicale, nec potestas remota, utpote quæ stante eo pacto, & vi illius conditionis nunquam potest licitè redigi in actum secundum. Nec sufficit, quòd hoc jus, & potestas remota posset habere alios usus, & utilitates; nisi simul finis principalis, & substantia matrimonii simul obtineatur; aliàs si ex hoc capite valeret tale matrimonium, valeret etiam matrimonium contractum sub conditione, si generationem prolis evites, utpote

M m m

quod

quod eisdem usus, & fines habere possent; quod tamen annullatur in *citt. cap. fin.* eò quòd illa conditio inferatur contra substantiam matrimonii.

421 Sed dices, prædictas conditiones non esse contra substantiam matrimonii; quia possunt merito adijci post matrimonium contractum, potestque intendi matrimonium ut præcisè ratum.

R. N. parit. quia quando semel est initum matrimonium, & contractus substantia legitime jam posita fuit, per actum postea illi contrarium supervenientem non vitiatur contractus, prout patet ex *l. empti §. C. de contr. empt.* ubi dicitur, si post contractum emptio- nis initum, ex post facto venditor emptori remittat pretium, contractum subsistere; & qui emit, dicitur rem illam emptio- nis titulo possidere, *l. pretii §. C. de rescind. vendit.*

In matrimonio verò rato, verè traditur jus, & potestas corporum, ita ut si conjuges nolint uti tempore à jure sibi concessio, possint statim eam potestatem redigere in actum secundum, & uti matrimonio; intentio autem illò non utendi, non est de ejusdem substantia.

422 Secunda hæc sententia spectatâ ratione, & auctoritate proba-

bilior videtur oppositâ, quæ tamen etiam valdè probabilis est. Unde

Ad argumenta in contrarium R. ad 1. conditiones ibi in *citt. cap. fin.* expressas poni duntaxat exempli causâ, ut patet ex verbo: *puta*, si alter dicat alteri, si generationem proles evites &c. reliquas verò etsi honestas contra substantiam conjugii appositas implicite contineri & intelligi, cum Pontifex generaliter sine distinctione loquatur, & eadem utrinque pugnet ratio, ut dictum est supra.

Ad 2. N. Conseq. & parit; nam si votum continentie præcessit contractum matrimonialem; tunc per ejusmodi votum non tollitur translatio corporum mutua ad actus conjugales, sed tantum res, scilicet corpus ad continentiam promissum Deo, per contractum matrimonialem traditur alteri, quod licet fiat illicite, fit tamen valide, uti patet in venditione aliarum rerum v. g. domus, prædii, equi &c. qui, si tibi sit promissus, & venditus, non tamen traditus, & postea vendatur, & simul tradatur alteri, transit equus in hujus dominium, & venditio hæc valida est, licet illicita. Et ratio ulterior est, quia votum simplex non est traditio, sed solum promissio: unde sicut quod uni promissum, possum alteri tradere, & efficietur suum, quamvis ego peccem.

cem: ita homo corpus per votum Deo promissum potest per matrimonium fœminæ tradere, ita ut verum dominium acquirat: at verò quando in ipso contractu ponitur talis conditio, efficaciter impedit corporis translationem, & consequenter matrimonium irritat.

Ad 3. n. c. nam etsi valeat matrimonium contractum cum intentione servandæ castitatem, seu illò nunquam utendi; non tamen valet, si conditio, sive pactum adjiciatur, quo jus, seu potestas matrimonii impeditur; nam cum intentione servandæ castitatem, vel Religionem ingrediendi, potest subsistere consensus in obligationem mutuam, & jus exigendi debitum; secùs si in ipso contractu adjiciatur talis conditio, sive pactum, cum vi talis pacti ille, à quo petitur debitum, jus acquirit repellendi petentem obtentu contractus sub tali conditione initii, qui non aliter obligat, quàm quo modo, & forma est celebratus.

Ad 4. n. c. & parit. disparitas patet ex suprâ dictis; quando enim id ab initio deducitur in pactum, impeditur plenè translatio potestatis corporum; secùs quando jam est initum matrimonium; est enim id commune contractui, ut apponi non possit in ipso contractu aliquid ejus substantiæ re-

pugnans; licèt postea apponi possit per modum novi contractus priori ex parte repugnantis. Unde

Ad 5. R. dictas condiciones, si ponantur à principio, & in ipso contractu, impedire translationem omnis mutui juris, & potestatis in corpora; hoc ipso quòd repugnent substantiæ matrimonii, illudque irritum, & nullum reddant juxta rationem suprâ relatam; ex matrimonio autem nullo nullum sequitur jus ac potestas in corpora, neque in actu primo, neque in actu secundo. Et licèt possit dominium separari ab usu, seu jure utendi in aliis rebus; quando tamen contractus ex vi suæ essentiæ ordinatur ad finem usus, uti fit in matrimonio, dominium directum sine dominio utili consistere non potest, ipsumque jus reale, quod per matrimonii contractum acquiritur, aliud non est, quàm jus utendi corpore conjugis ad usum generationis. Nec obstat, quòd ulus matrimonii possit separari à jure, quod sibi invicem tradunt conjuges in sua corpora per votum emissum post initum matrimonium; nam tale votum non tollit obligationem consummandi matrimonium, sed tantum eam jam contractam suspendit quoad executionem. Econtra si in ipso contractu matrimoniali ea separatio juris ab usu deducatur in pactum, nullum

M m m 2 omni-

omninò ponitur jus, nec obligatio ad usum matrimonii, quæ tamén est essentialis matrimonio.

423 Ad 6. R. B. V. & S. Josephus matrimonium non sub ea conditione, sed absolutè contraxerunt, consentientes verè in jus, & potestatem suorum corporum, quamvis uterque haberet propositum servandi castitatem, id quod B. V. non obstante voto castitatis, quod habuit, licitè facere poterat, quia ex Divina revelatione illi certum erat, quòd debitum conjugale ab ipsa nunquam esset petendum, ut docent S. Th. & S. August. relatus in *can. Beata 3. caus. 27. q. 2.* Ubi sic ait: Beata Maria . . . subiecit se Divinæ dispositioni, dum proposuit, se perseveraturam Virginitatem, nisi Deus aliter ei revelaret: committens ergo virginitatem suam Divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed Divinæ inspirationi in utroque obediendo; postea verò filium genuit, & quod corde conceperat, simul cum viro labiis expressit, & uterque in virginitate permansit; consensus ergo cohabitandi, & individuum vitæ consuetudinem retinendi interveniens eos conjuges fecit. Hæc ille.

Porro, licèt sententia posterior negativa probabilior utique videatur; cùm tamen sententia affirmativa valdè probabilis sit, & in du-

bio præsumendum sit potius pro valore, quàm pro nullitate actûs, poterit Confessarius interroganti Patronillæ respondere, ut depositò scrupulo maneat in eo matrimonio secundùm valdè probabilem sententiam validè contracto, & marito cohabitet, præsertim cùm, ut ipsa asseverat, à tempore initi matrimonii jam per aliquot menses nihil à marito fuerit petitum, contrarium castitati, nec contra eam quidquam hætenus peccatum sit; Consultius tamen est, ut ipsa, si commodè possit, cubet in lecto separato ad præcavendum omne periculum, quod cum tempore oriri posset, vel si quod periculum foret, ut petatur dispensatio è legitimo Superiore concedenda. Unde

Patet responsio ad secundum Q.

Ad 3. Q. An valeat matrimonium contractum sub conditione, ut conjux nunquam debitum exigat? Respondet Sylvest. *V. matrimonium 4. 9. 7.* non vitari matrimonium, etsi id ab initio in pactum deducatur. Rationem dat, quia nunquam petere non derogat fidei conjugali, utpote quam sufficienter conjux servat reddendo, neque est contra bonum prolis, utpote quæ reddendo generari potest. Nihilominus rectius, meliusque affirmant alii per ejusmodi pactum, seu conditione-

ditionem matrimonio appositam vitari matrimonium, Ita Adrian. in 4. q. 3. de matr. dub. 9. Sanch. l. c. n. 4. Laym. l. c. uterque Ledesm. Henricq. aliique supra cit. Ratio est, quia de ratione matrimonii est totalis corporum traditio, ex qua dimanet mutuum, & æquale jus in utrôque in corpus alterius: atqui in hoc casu hæc totalis traditio non fieret, hoc ipso, quòd non traderetur jus petendi, nec esset æquale jus in utroque ad corpus; cum alter jus petendi simul, & reddendi acquirat, alter verò solum jus reddendi.

Atque adeò non esset par utriusque conditio, & totalis corporum traditio, prout tamen ad contractum matrimonialem requiritur. Unde

Patet responsio ad rationem in contrarium allatam. Præterea, licet nunquam petere, ait Laym. l. c. non sit contra fidem matrimonii, & bonum prolis, id tamen esse, se à principio obligare ad nunquam petendum.

CASUS LXXV.

De matrimonio dubio, & sponsalibus, ac sententia à Judice ferenda?

Titius sub ficta hac matrimonii promissione, *deinceps mea uxor eris, volo tecum contrahere, &c.* extorsit copulam à Bertha, cui postea factam promissionem urgenti respondet Titius, se non modò mentem suam mutasse, sed etiam nunquam serium animum habuisse, eam ducendi in uxorem, quo audito Bertha Titium in jus vocat, qui à Judice de facta promissione interrogatus eam rotundè negat, quam cum Bertha nec testibus, nec aliunde sufficienter probare posset, Titius ab omni obligatione liber à Judice pronuntiarur.